QUÆSTIO MEDICA PHYSIOLOGICA

Propoſita ab illuſtriſſimo Viro D. D. PETRO MAGNOL Regis Conſiliario & Medico, nec-non in almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Profeſſore Regio digniſſimo

Sub hac verborum ſerie,

AN

TOTUM GENERATIONIS NEGOTIUM AD MECHANICÆ LEGES REFERENDUM.

IN Studiis Anatomicis primum eſt ponendum Medicinæ tyrocinium : Anatome ſiquidem Artis ſaluberrimæ clavis ac veluti fons, in omnes ejus partes latè manat ac funditur ; docet quo motu, quâ velocitate ſanguis corpus roret univerſum ; quâ non ſatis laudandâ ſymmetriâ humores diverſi, qui per varia fluunt corporis incernicula, à ſanguine ſecernantur ; quis alimenta ſubigat ſuccus ; quis nutriat. Hinc juvat depromere rationes, & cauſas penitùs tentare latentes reciproci reſpirationis motûs ; undè nervorum ſympathiæ & muſculorum actio ; quid aura ſeminalis affer ad generationem ; Et in corpore viventi, quid velit & poſſit rerum concordia diſcors. Quæ omnia perſpiciat Medicus neceſſe eſt, ſi ſui nominis famam tueri velit : & ſanè demiſsè ſentit, quiſquis arbitratur cum Poetâ ſolum Medici officium eſſe, ſcire herbarum vires, uſumque medendi. Alia longè Medicinæ præſtantia, alia amplitudo. Ea ſcilicet quidquid rerum univerſitas ambitu ſuo complectitur, quidquid corpus humanum, è multis machinis machina, imis recondit viſceribus, ſcrutatur ac reſerat ; vaſorum contextum, diametros & diſtributionem perpendit ; egregiam colorum ſtructuram obſervat ; tùm & ſanguinis indolem, motus, reſiſtentiam, & determinationem ; partium ſolidarum miram compagem, trochleas, cuneos, vectes omnium generum & ſimilia. At GENERATIONE quid curioſius, quid uberius ! Generatio eò magis mira, quò minùs nota ; obſtupeſcentem ſuſpendit animum, tot phœnomenis ſtipata. Sed ignoſcant aures pudicæ Medico, naturæ arcanorum indagatori ; nec quiſquam ſcurrilibus & nefariis moribus tribuat, quod hìc non-niſi ſummâ mentis acie contemplamur.

MAS & FEMINA mutuò ſui deſiderio incenduntur ; hinc generis perennitas. In primâ adoleſcentiâ marem, conſpectâ virgine, neſcio quis æſtus invadit inexpertus ; pudore repentino ſuffunditur illius vultus, palleſcit modò, modò erubeſcit ; moventur hùc & illùc oculi ſcintillantes ; pectus æſtuat ; palpitat cor ; titillantur virilia ; penis erigitur. Annum puella vix decimum-quartum, imò & quandòque duodecimum attigit, cùm quædam ſanguinis copia ſingulis menſibus ipſi manare ſoleat per dies aliquot. Tunc perſentiſcit cupidinis œſtrum ; oblato mare, mens ejus conturbatur ; corpus flagrat. Mas & Femella genitalium prurigine accenſi, cum incredibili voluptate, ſi liceat, ruunt in teneros amplexus ; uterque excandeſcit. Mas ſemen in uteri loculos, mulier ſerum acre ac limpidum per vaginæ oſtiola ejaculatur. Hactenùs deliciæ ; mox feminæ labor. Toto corpore inhorreſcit poſt immiſſum fœcundum ſemen ; euchyma faſtidit alimenta ; piperata, ſalſa, imò & abſurda appetit. Adhæc, ructus nidoroſi, nauſea, vomitio, cardialgia, ſuppreſſio menſium, capitis & corporis gravitas, animi deliquia, mammarum tumor. Poſtremò, elapſis à fœcundatione quindecim circiter diebus, in utero reperitur veſicula pellucida, in quâ fœtus rudimentum apparet, ut quercus in maturâ glande. Hæc adhæreſcit utero, ſuccreſcit ; fit fœtûs. Is augetur, ac tandem novem ferè poſt menſes calcitrat, & per apertum matricis oſtium cum appenſis ſecundinis editur ad dias luminis auras. Cuncta hæc pendent tùm à vaſorum ſtructurâ, tùm à partium fluidarum motu, figurâ, mole.

ELEGANS eſt in utroque ſexu partium procreationi dicatarum apparatus, mirum artificium. Teſtibus ſeminis à ſanguine ſecernendi provincia delegata eſt ; vaſis deferentibus, deducendi ; capſulis ſeminalibus, coacervandi ; muſculis acceleratoribus & erectoribus, ejaculandi. Sua ſingulis partibus ineſt conformatio, numerus organorum ingens, figura multiplex, intricatus ordo. Vaſa deferentia, epididymides, teſtes ſeminis ſunt incernicula. Nec ex acinis conſtant glanduloſis, ut hepar, pancreas, parotydes ; ſed vaſculis innumeris, intùs obductis membranulâ veſiculis conſperſâ, vaſis ſanguineis irroratâ, quæ ſemen incernit. Hoc ad veſiculas ſeminales delatum ibidem torpet, donec vel copiâ turgens, vel amoris illæcebris ſuſcitatum, ſua diſtendit conceptacula ; maximo cum impetu & exquiſitiſſimo ſenſu inſilit in urethram, & foras erumpit. Mentula, unicus derivandi ſeminis tubus, ligamentis duobus cavernoſis, ſanguine turgidis, intumeſcit. Semen quod vibrat, ſulphure pingueſcit : acido luxuriat : ubicumque dulce eſt, ibi & acidum invenies. Singulare habet artificium uterus, ut ſemen hauriat, excipiat, foveat. Præter membranas tenues & carneas, quibus texitur, & vaſa ſanguinea & lymphatica, quibus irrigatur, ductus habet exiliſſimos, per internam illius membranam flexuoſis ambagibus repentes, intùſque eructantes humorem ſalſum ac limpidum ſalibus ammoniaco, analogis ſaturatum. Uterus & vagina ſucco illo ſubacri perpetuò madent, qui adeò crudus in Virginibus, ut non efferveſcat, niſi anno ut-primùm duodecimo ; quo tempore ſalia quibus turget, vigente ſanguinis fermentatione exaltantur ; & ſulphureis nexibus, quibus implicabantur ſolutis, magnâ copiâ fluunt per uteri vaſculo-veſiculares glandulas, quæ ſero his ſalibus onuſto, turgidæ venas adjacentes premunt, ſanguiniſque effuſioni, interceptâ circulatione, ſingulis menſibus anſam præbent. Fermentum uterinum dicimus, ſuccum acerrimum, quo perfunditur uterus ; & menſtruam purgationem, eumdem humorem cruore infectum.

NIHIL homo ſine animâ & corpore, veluti pacto fœdere ſociis, perficit. Si quid moliuntur homines, per utrumque abſolvunt. Nec ullus præſtaret alteri, ſi, quemadmodùm nec diſpari gaudent animâ, ita etiam non diſſimili corpore pollerent. Undè tot hominum genera. Hic Themidis alumnus, quem puderet Apollinem è Templo non ejeciſſe. Qui quondàm in Foro lites agebat miſerè, jam ſacris Concionibus deditus, aures demulcet Auditorum. Hic Virginem deperit, quam alius averſaretur. Tot & tam variæ animorum diſpoſitiones à ſolâ organorum fabricâ & humorum diatheſi pendent, non à diversâ mentis indole : nec diſcrepat emunctæ naris homo ab hebete, niſi per corpus, quod pro variâ ætate & temperamento pathematis diverſis eſt obnoxium. Sic ingenii vis torpet in infantibus, viget in adultis, in ſenibus elangueſcit. Anima, res cogitans non-niſi corporis miniſterio, ſentit in cerebro, non in partibus; objecta grata vel ingrata percipit non ſucceſſione nervorum, ſed ſpirituum à ſenſuum organis refluxu. Ita Mas, objectâ fortè Fœminâ, ſubitò conturbatur, & cæco carpitur igni. Prima igitur amoris ſcena in viſionis organo ; ſunt enim oculi in amore duces. Itaque non à quâlibet, ſed ab hac vel illâ jucundi aſpectûs Virgine, reflexi luminis radii, maris retinam gratè afficiunt; mox ſpiritus per nervum opticum hùc affluentes, ad cerebri meditullium repulſi, viſûs ſenſorium impetunt; hinc motio fit in corpore calloſo, ſpirituum promptuario, ſenſus communis ſede ; fibræ, quibus implicatur, variè flectuntur ; ſuſcitatur in animâ rei gratæ idea, ſcilicet legibus miri illius fœderis, quod eſt animam inter & corpus divinitùs ſancitum. Quid multa ? Spiritus, è viſûs organo depulſi, ad eam corporis calloſi partem, quæ nervo reſpondet optico, offendunt ; flectunt fibras, earumque elatere in obvia nervorum oſtiola repercutiuntur. Nec aliundè conſenſus ille partium, ſympathia, quàm ex perenni ſpirituum agitatione. Sic ex attentâ formoſæ mulieris inſpectione commoti ſpiritûs in promptuario, quâ data porta ruunt in ductus nervorum apertos ; genitalia neceſſitate mechanicâ excitant ; ſemen accendunt ; & ita contrahunt muſculos erectores & acceleratores, mentulæ radici affixos, ut venæ, ſanguinem per arterias pudendas ſine impedimento infuſum reſorbentes, conſtringantur ; hinc, nolentibus etiam, penis arrigit criſtas. Eodem fermè modo æſtuat corpus, pectus incaleſcit ; ſanguine à vegeto ſpirituum influxu incandeſcente. Palpitat cor, palleſcit vultus ; impedito ſanguinis circuitu libero per pulmones, & ideò per corpus ; nimirùm ex villorum veſicularum & vaſorum pulmonarium contractione, quæ quandòque adeò vehemens & repentina, ut deliquium ac mors interdùm conſequatur. Tùm etiàm inordinatè moventur oculi, irruentibus in oculorum muſculos ſpiritibus ; vultus erubeſcit, detento in genis rutilante ſanguine ; videlicet à contractis vaſorum fibris orbicularibus. Hæc quidem amoris præludia efficere potis eſt formoſæ mulieris inſpectio. Nec tamen inficias imus marem femellæ blandiloquiis, fallaci etiam ſuccumbere amori. Videntur enim à nativitate cæci, quos molliter urit amor.

NATURA ſui conſervatrix, cunctas voluptate allexit animantes ad generis propagationem. Hinc genitalia in utroque ſexu, multâ nervornm ſobole reſperſa, ut iis vel parùm titillatis animantes libidinis œſtro forent percitæ. Vir & fœmina tentigine accenſi, & ſtimulis excitati amoris, rapiuntur in optatos amplexus. Tunc æſtuans ac turgens mentulæ caput, flammeſcens clytoris & muliebria mutuo affrictu pruriunt maximè ac vellicantur. Quid inde ? Spiritus regente cupidine hùc accurrentes, ad cerebrum undè diffluxerant, repercutiuntur ; libidinoſas movent imagines ; &, favente nervorum ſympathiâ, irruunt in nervos muſculis lumborum flexoribus proſpicientes, quos contrahunt. Mox incurvatur dorſum, caput deprimitur, labra labris applicantur. At, fatiſcente flexorum motu, extenſores vim vi ſuperant, nec ſolùm ſpiritibus in eos copiosè ac rapidè confluentibus, verùm & elatere ligamentorum vertebralium, incurvatione ſpinæ nimis diductorum. Indè lumborum & clunium jactationes. Tanto ſpirituum affluxu ac per crebras partium ſucceſſiones in ſuis conceptaculis ardeſcit ſemen, fermenteſcit, rareſcit ; promptuaria expandit veſiculoſa ; defectu ſpatii cum impetu exilit in urethram, & uteri adyta conſpergit.

VIRILE ſemen, æmulum ſolaris radii, in uterum excipitur ; totum illius contextum æſtu venereo rarefactum, undiquè ſubit ; & vaſorum porulos permeans, ſanguini miſcetur æſtuanti ; humorum craſim inſpiſſat, nempè ſalibus acidis & ſulphure craſſo, quibus turget. Horrores, quibus mox à fœcundo coitu contremiſcit femellæ corpus ; totiûs corporis gravitas, cephalæa, inſolens ciborum faſtidium, nauſea, vomitio, ructus acidi, menſtruorum ſuppreſſio, mammarum tumor, animi deliquia, cordis palpitatio & ſimilia, non-ne certiſſima ſunt tranſmiſſionis ſeminis in ſanguinem argumenta ? In ovario prima partium omnium ſtamina latent, ante maris congreſſum : & hoc quidem obſervatur microſcopio in ovis gallinaceis non fœcundatis. Quiſnam autem fœtus in ovario conſtructionis ordo ? Myſterium prorsùs abſconditum. Hinc faceſſant qui vermiculis in ſemine natantibus hominis generationem adſcribunt. Artis anatomicæ imperitia novam hanc opinionem invexit. Nec fictos in primæ parentis ovario fœtus omnes humanos veroſimile ; fugit enim ſubtiliſſimam mentis aciem infinita fœtuum corpuſcula, ſuis diſtincta partibus, ſuis humoribus irrigata, in tàm anguſto contineri potuiſſe loco. Hoc unum aſſerimus fœtûs corpuſculum in ovi carinâ ſeu cicatriculâ inexplicabili motuum varietate quotidiè effingi, nimirùm ex concretione fluxibilis materiæ à ſanguine ſecretæ ; quæ, principiis conſtans heterogeneis, fermenteſcit, mox abit in fœtûs rudimentum. At naturæ inchoatum adhuc eſt opus, ac veluti rudis indigeſtaque moles, donec amicâ genitoris aurâ, non per tubas fallopianas, ſed circulationis legibus per arterias ſpermaticas, ad ovarium delatâ, ſuſcitetur. Semen igitur fermenti oppidò penetrantis vices gerit, cùm eſt humoribus ovorum permixtum. Tunc carina, conceptâ in ſuis humoribus fermentatione, turgeſcit ; phlogoſi diſtenditur ovarium ; adducitur tubarum oſtium corpore fimbriato irradiatum, nempe decurtato, utrique adhærente, ligamento ; diſruptâque, ob nimiam diſtentionem, ovarii membranâ, excidit ovum ; excipitur fimbriis, ſicuti digitulis primoribus arrectis, ac per oblatum quemvis iſtarum alveolum, deducitur in oſtium tubæ. Hoc tramite in uteri ſinum periſtaltico motu propellitur ovum ; ubi adhærentis ſibi placentæ caliculis & uteri papillas excipit, & ab iis lac exſugit nutritium, in glandulis vaſculo-veſicularibus ſecretum. Hinc-ſuccreſcente fœtu, appellit quoque maternus ſanguis ex diſruptis vaſis capillaribus, qui ſucco permixtus lacteo in ipſis placentæ caliculis, traducitur per ramos innumeros in venam umbilicalem, & hâc in fœtum. Menſtrua verò, quæ novem circiter per menſes aurâ ſeminali fuêre ſopita, expeditis tandem ſalibus, excitata ſuccum fœtûs nutritium, dulcem priùs & euchymum, perfundunt acrimoniâ, & ſanguinem ejus incendunt. Aliquantópoſt variis & inſolitis motibus agitatur fœtus ; uterum adeò concutit, ut fibræ muſculoſæ, ad contractionem inſtigatæ, vaſa lactea ipſis alligata undique trahant eorumque orificia, quæ in uteri papillas coeunt, à caliculis placentæ deducantur. Sic diſjungitur ab utero placenta, & fœtui ſubducitur nutrimentum. Poſtremò ſuâ orbatus alimoniâ, fœtus calcitrat. Diaphragma ſtatim contrahitur, ſcilicet ſpiritibus in illud, validæ uteri concuſſionis causâ, copiosè influentibus, uterum premit, fœtûs caput propellit, mox pronum dejicit, & fibrarum uteri contractioni ad fœtum cum appenſis ſecundinis excludendum opitulatur. His ita expoſitis, non erit abſonum aſſerere

TOTUM GENERATIONIS NEGOTIUM AD MECHANICÆ LEGES REFERENDUM.

Theſes has propugnabit COSMAS FAVEREAU *Machecovienſis apud Britannos, liberalium Artium Magiſter, die mensis Novembris ann.* 1701.

PRO BACCALAUREATU.

In auguſtiſſimo Monſpelienſi Apollinis Athæneo.

MONSPELII apud HONORATUM PECH Regis, Univerſitatum, Cleri, & Urbis Typographum.